

ciales Curiarum Episcopaliū, nemini licere, contra canonicas praescriptiones, absque speciali licentia Sanctae Sedis, partem aliquam eleemosynarum ad determinatum opus collectarum, ad alia pia opera sive dioecesana sive extradioecesana adhibere; sed eleemosynas omnes erogandas esse iuxta praescripta canonica, vel designationem Sanctae Sedis, vel dantium intentionem, servatis de iure servandis.

808. In eleemosynis colligendis sive in collectis faciendis, ut omnis abusus vitetur, nemo publice per vias et domos eleemosynas pro aliquo pio fine colligere audeat, absque licentia scripta Ordinarii loci, in quo eleemosynae colliguntur. Quae ordinatio ipsos quoque Regulares et personas religiosas comprehendit, salvis tamen privilegiis, quae Ordinibus mendicantibus sunt concessa. Praeterea, ad collectionem eleemosynarum nunquam personae deputentur, quae notorie non sint piae et honestae. In modo autem petendi eleemosynas ad opera pia, omnia sedulo vitentur, quae inhonesta sunt, quaestum sapiunt, populi christiani pietatem laedunt. Quare Ordinarius erit, abusus, qui forte irrepserint in eleemosynis istis colligendis, omni studio eliminare. Si vero extra Ecclesiam fieri non possit collectio eleemosynarum, licita erit vel ad ianuam Ecclesiae vel intra illam, sive per clericum sive per laicum ad hoc deputatum, dummodo ordinationes ab Episcopo datae accurate observentur. Quoad Sorores eleemosynarum collectrices, servetur decretum *Singulari quidem* S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 27 Martii 1896¹.

¹ V. Appen. n. LXXXIX.

TITULUS XII.

DE MODO CONFERENDI ECCLESIASTICA BENEFICIA

CAPUT I.

De subiecto Beneficiorum.

809. In conferendis beneficiis ecclesiasticis, et praesertim parochialibus ecclesiis, personis dignis et habitibus, quae in loco residere et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III in Lateranensi, et Gregorii X in Lugdunensi generalibus Conciliis, ac Innocentii similiter III et aliorum Romanorum Pontificum editae Constitutiones testantur². Et sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas, a puerilibus exordiis ad perfectiores annos, per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare².

810. Non sufficit igitur indignorum exclusio, sed requiritur accurata dignorum electio vel designatio; et contraria praxis ab Ecclesia damnata fuit, ut sapienter

¹ S. Pius V. Const. *In conferendis*, 18 Mart. 1567.

² Bened. XIV. Const. *Cum illud*, 14 Dec. 1742.

monet Benedictus XIV dicens: « Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, s. m. Innocentius XI, Praedecessor Noster, erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio »¹.

811. Quapropter, quicumque ad praesentationem, designationem, nominationem, admissionem vel confirmationem huiusmodi beneficiarum concurrere debet, seu ius patronatus legitimum habet, sedulo perpendat gravissima haec verba laudati Benedicti XIV, scilicet: « Nihil gravius toto vitae cursu ipsi evenire posse, quam probatissimum hominem parochiae praeficiendum suis suffragiis renuntiare... Ob eam causam non esse temere festinandum, sed assiduis precibus exorandum Deum, ut coeleste lumen liberaliter impertiat... Nam sicuti detrimenta omnia, quae ab imperitis medicis, nautis atque imperatoribus dimanant, ad illos, a quibus electi sunt, merito referuntur, ita, qui privatis suis cupiditatibus obsecundans, sacerdotem idoneum omnique laudis genere praestantem negligit, aliumque suffragio suo nuncupat ad animarum regimen minus accommodatum, malorum omnium, quae inde consequentur, velut auctor a Deo iudicabitur. Bona vero, quae praestantior sacerdos excitasset, si ipsi parochiae administratio delata fuisset, ab iis severissime Deus exiget, qui suffragium impertiri recusarunt. Hanc sententiam pietatis Magister

¹ Bened. XIV. Const. *Cum illud*, 14 Dec. 1747.

Ludovicus Granatensis scriptam reliquit: *Praeferens indignum reus est omnium animarum, quae ob eius indignitatem periclitantur; reus est omnium flagitiorum, quae ex hoc crimine consequuntur; reus denique omnium, aut eleemosynarum aut aliorum bonorum, quae boni Rectoris studio perficerentur* »¹. Et ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium et sui officii immemororum pastorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus de manibus eorum est requisiturus².

812. Candidati autem, propriam idoneitatem ad normam iuris et ecclesiasticae modestiae comprobaturi, « verecunde, divinique obsequii desiderio, et salutis animarum causa solum adducti, suae virtutis testimonia proferant, et voluntatem obtinendae parochiae declarent, si bene atque utiliter *parochianis* ita consulatur; deinde curas abiciant, omnemque rei exitum ad supremam Dei providentiam penitus referant »³.

813. Magistratus autem vel alii, si qui sint, quibus forte ius patronatus vel praesentationis ad aliqua beneficia competit, omnino abstineant a promissionibus circa beneficia nondum vacantia; et sciant huiusmodi promissa, adveniente etiam vacatione, nullius ponderis esse. Caeterum neminem recte iudicantem latet, « non sine piaculo huiusmodi nominationes amicitiae, aut cognitionis habita ratione, fieri, sed unice spectandum esse, an cum Dei obsequio et Ecclesiae utilitate coniungantur »⁴.

814. Potentes vero et magnates huius saeculi omnino abstineant ab importunis precibus circa bene-

¹ Bened. XIV. Instit. 12. n. 3-5.

² Conc. Trid. sess. 24. cap. 1 de ref.

³ Bened. XIV. Instit. 12. n. 11.

⁴ Bened. XIV. Ibid. n. 8.

ficia conferenda, dicente Benedicto XIV cum Angelico Doctore: « Quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quae *preces armatae* dicuntur, manifeste simonia committitur, si propter hoc beneficium ecclesiasticum datur; si autem pro digno fiant... si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum iudicium, simoniam committit et rogatus et rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio »¹. Unde, si grave foret peccatum Praelati, qui ad aliquod beneficium conferendum principaliter moveretur favore precum vel timore rogantis, sine comparatione gravius esset peccatum huiusmodi potentatum, qui conscientiae et auctoritati Praelatorum vel aperte vel, quod damnabilius quodammodo est, indirecte et per obliquum violentiam inferrent; nec eos excusarent, immo moralis violentiae reatum aggravarent, rationes quae dicuntur *politicae* vel *Status*: et gravissimum undequaque dicendum esset crimen Clericorum, qui pro beneficio obtinendo ad huiusmodi intercessionem recurrerent.

815. Denique meminerint omnes Clerici protectionem potentatum quaerentes, eorumque iniusti protectores, excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, subiacere: « Reos simoniae realis in beneficiis quibuslibet, eorumque complices »². Igitur, si quis Clericus, quod Deus avertat, hac labe infectus fuerit, et realem simoniam sibi condonari voluerit, ante omnia hoc monitum perpendat et citissime executioni mandet, scilicet: « *Dimittat, moneat, restituat*; videlicet *dimittat* beneficium, quod malis artibus acquisivit; *moneat* eum, qui pretium accepit, ut illud in Ecclesiae

¹ Ben. XIV. Inst. 12. n. 12.

² Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.

vel egenorum commodum convertat; *restituat* fructus omnes, quos ab Ecclesia perceperit »³.

CAPUT II.

De Beneficiis parochialibus.

816. Episcopus unicuique parochiae vel determinatis paroeciis, si id paucitas sacerdotum exigat, suum parochum assignet⁴, ita ut « nullus alterius parochiae terminos aut ius invadat; sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter Ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni Iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat; et non iudicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat »⁵.

817. Quoad resignationes autem paroeciarum titulo inamovibili collatarum, « Episcopi et alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere et admittere possint, qui, aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii censurisque ecclesiasticis irretiti, nequeunt aut non debent ecclesiae vel beneficio inservire..., qui etiam, ob capitales inimicitias, nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi »⁶; caeterique de quibus agitur in Constitutione S. Pii V, *Quanta Ecclesiae Dei*. « Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad haec, beneficiorum et

¹ Bened. XIV. Institut. 12. n. 12.

² Conc. Trid. sess. 24. c. 13 de ref.

³ Cap. *Ecclesias*, caus. 13. q. 1.

⁴ S. Pius V. Const. *Quanta Ecclesiae Dei*, 1 April. 1568.

officiorum permutationesmittere, quae canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur »¹.

818. Siubi aliqui ex Parochis titulo inamovibili donati tali abutantur conditione ut turpiter et scandalose vivant, postquam praemoniti fuerint, Episcopi eos coërceant, ac castigent; et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant². Quando vero ob imperitiam, et inidoneitatem, vel ex gravi odio et aversione plebis, parochus paroeciae suae amplius consulere non potest, tunc, per oeconomicam provisionem, ab exercitio muneris parochialis removeri potest etiam invitus, sive ad tempus sive in perpetuum, prout natura impedimenti postulet, retento tamen beneficio: quo in casu, per Oeconomum seu Coadiutorem pleno iure paroecia regenda erit, servatis de iure servandis quoad congruam ab Ordinario designandam. Talium vero Oeconomorum seu Coadiutorum designatio a solo Ordinario fiat, non autem a parochio, qui a sua paroecia quacumque de causa separetur³.

819. Ut autem omnes, ad quos spectat, normam habeant tutam ad dignoscendas causas privationis paroeciarum, ubi titulo inamovibili habeantur, imprimis attendant necesse est causas in iure communi et praesertim in Concilio Tridentino (*sess. 21. cap. 6. de ref.*) iam expressas, propter quas privatio officii et beneficii parochialis, sive ipso facto incurrenda, sive per sententiam condemnatoriam infligenda statuitur.

820. Praeterea implorata, quatenus opus sit, Apo-

¹ S. Pius V. Const. *Quanta Ecclesiae Dei*, 1 April. 1568.

² Conc. Trid. sess. 21. cap. 6 de ref.

³ Cfr. Conc. Trid. *ibid.*

stolica declaratione pro tota America Latina, causae *speciales* privationis ab officio et beneficio parochiali nominatim declarantur sequentes:

I. Publica, perdurans graviterque culpabilis infamatio quoad mores sacerdotales, etiam post legitimam admonitionem non correctos, qua cura animarum grave damnum patiatur;

II. Temeraria et post legitimam monitionem contumaciter repetita ad matrimonium admissio eorum, qui publicis impedimentis rite non dispensatis detinentur;

III. Omissio temeraria instructionis catecheticae, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, per maiorem anni partem, et post legitimam monitionem pertinaciter continuata. Item temeraria et post legitimam monitionem iterata negligentia in administratione Sacramentorum fidelibus in articulo mortis constitutis, etiam ex sola causa distantiae ab ecclesia parochiali admissa;

IV. Gravis, publica et post legitimam monitionem repetita iniustitia et inobedientia in exigendis taxis, praesertim occasione matrimoniorum contrahendorum aut funerum, contra leges dioecesanarum de taxis latis;

V. Gravis, publica, per maiorem anni partem temere protracta, atque post legitimam admonitionem pertinaciter continuata, negligentia spiritualis curae et institutionis christianae Indis et Nigritis paroeciae, impendendae secundum normas in legibus dioecesanis praescriptas.

821. Quod si, ullo in casu, ex hisce legitimis causis, ad privationem ab officio et beneficio parochiali procedatur, id nunquam fiat, nisi servata forma canonica saltem processus summarii, confecti ad tramites Instructionis S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 11 Iunii 1880¹.

¹ V. Appen. n. XLV.

CAPUT III.

De lege concursus.

822. Cum in pluribus regionibus nostris perdifficilis sit celebratio concursuum, pro collatione beneficiorum praesertim parochialium, volumus ut, in huiusmodi regionibus, implorata Apostolicae Sedis venia, omnes paroeciae titulo amovibili conferantur.

823. Quoad regiones vero ubi concursus de iudicio Episcoporum Provinciae haberi possunt, serventur normae a Sancta Sede praescriptae (imploratis, si opus fuerit, apostolicis indultis quoad modum), praesertim Constitutiones S. Pii V, *In conferendis*, et Benedicti XIV, *Cum illud*¹.

¹ V. Appen. n. XII.

TITULUS XIII.

DE IURE ECCLESIAE ACQUIRENDI ET POSSIDENDI
BONA TEMPORALIA

CAPUT I.

De iure Ecclesiae acquirendi et possidendi
bona temporalia.

824. Ecclesia Catholica, cum sit societas visibilis atque perfecta, quae ad fines sibi proprios necessario indiget bonis temporalibus, ius quoque habet nativum et legitimum acquirendi et possidendi bona temporalia¹.

825. Quod ius Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia, ex natura rei et fine proprio, minime ad sola bona mobilia est limitatum, sed ad immobilia quoque bona extenditur. Quare Ecclesiae iura eiusque libertatem graviter laedunt, qui facultatem eidem denegant acquirendi servandique bona immobilia, ad normam sacrorum Canonum.

826. Quoad modos acquirendi dominium, nemini dubium esse potest Ecclesiam omnibus illis modis bona temporalia acquirere posse, a quibus quilibet homo honestus ac dominii capax non est exclusus. Nulla

¹ Syllab. Pii IX, prop. 26-27.